



VI SEMINARIVM COLLEGII LATINITATIS

“De itineribus, gentibus, hospitiis in toto orbe terrarum”

Veneris die III mensis Iulii ann. MMXXVI

Aula Cèsar Simó, Facultat de Filologia, Traducció i Interpretació

Avda. Blasco Ibáñez 32

Valentiae

—

ORATIONVM SUMMAE

- **8:30-9.00** Participes in sedem recipiuntur, subsidia distribuuntur
- **09:00:** Verba aditialia seminario auspicando
- **9:20 Jacopo Rubini (Università Salesiana, Romae):** “De mirissimo ac periculosissimo S. Francisci Xaverii in Japoniam itinere”

Vicissitudines summatim delineabuntur illius mirissimae incredibilisque navigationis, quam S. Franciscus Xaverius, Indiarum apostolus, in Japoniam primus Catholicorum sacerdotum anno 1549 suscepit, ut Evangelium Christi, haud ita postquam aliquot e Lusitania intrepidi mercatores ignotum eo cursum direxerant, ad ultima quoque Orientis deduceret, plurima quidem et narratu dignissima perpessus pericula. Nonnulli, insuper, e fontibus loci Latini unà legendi adicientur

- **9:55 Matthew Jay (Collegium Latinitatis, University College, Londinii):** “De itinere subterraneo Nicholai Klimii: introductio et cursus”

Anno 1743, nobis præfert Ludovicus Holberg fabulam jucundissimam qua narrantur res gestæ Nicholai Klimii, olim discipulus universitarius, postea, studiis peractis, explorator scientificus. In cavernam miram, auras scilicet emittentem, descendit ut sciret quid rei esset. Se tamen invenit in mundo sub nostro, pleno societatum a nostris prima facie distinctarum. Hoc vero modo, id est, fabula quam nunc nominaremus fictam scientificam, Holberg absurda societatis nostræ illustravit. Nonnulla crustula præbebo hac in oratinucula, una cum cursu quem olim paravi.



VI SEMINARIUM COLLEGII LATINITATIS

- **10:20 Victor Martín (Collegium Latinitatis, Legioni):** “Quomodo suam quaeque aetas interpretationem Germaniae Taciti propousuerit: ab humanitatis restitutoribus usque ad Nazistas”

Multis ante saeculis, Tacitus noster opusculum quod Germania inscribitur, quamquam a nonnullis in dubium vocatum est, composuit. Quo in libello qui *De origine et situ Germanorum* in praestantioribus codicibus nominatur, multa tractantur quae praesertim ad descriptionem populorum Germanorum pertinent, ideoque habetur primum opus huius generis Latine conscriptum. Haec igitur scripta cum primum reperta essent, in manibus multorum hominum versata sunt qui sua ratione interpretati sunt tantumque eis tributum est pondus ut suam quisque interpretationem posteris traderet temporum rationi congruentem. Itaque inter hos viros numerantur illi fascales Germani sive Nazistae qui principem locum videlicet obtinuerunt, nam apud Tacitum causas reppererunt plurimas quibus quidem in suum regendi consilium maiorem vim inferrent et mentes animosque omnium infestis consiliis doctrinisque ex ipsa Germanorum veterum historia consulto prave perperamque intellecta implerent.

- **10:50 Gabriel Cañamero (Collegium Latinitatis, Lucenti):** “Hostis an hospes? De alienigenis gentibus in iure Romano”

Crescente Romano imperio atque latius propagato, commercium cum aliis gentibus frequens usitatumque devenit. Quo in rerum statu, ius gentium exstitit ad responsum quaerendum: quomodo cum iis qui cives Romani non sunt, iure uti.

De eo iure loquemur cum quo alienigenae in iure Romano recipi possent – neque civibus adaequati neque prorsus exclusi–.

Disseremus etiam de generibus alienigenarum qui Romam adire poterant et de commerciis inter cives et alienigenas.

INTERCAPEDO

- **11:50 Adriana Caballer (Polis Institute, Eblanae):** “Peregrinatorum multitudines apud antiquos et nos: eratne vere occidendus delphinus?”

Apud Plinii Epistulam IX 33 invenitur fabula de delphino quodam prodigioso, miti, natantibus comiter adnatanti. Cum ad tantum prodigium spectandum magna peregrinatorum multitudo concurrisset, a nonnullis decretum est eum esse clam interficiendum. Causa? Modica Respublica novis sumptibus premebatur ac Colonia pristinum naturalem secretum amiserat, difficultates haud a nostris diebus ac urbibus absimiles. Huius oratiunculae propositum est,



VI SEMINARIUM COLLEGII LATINITATIS

primum, paululum de illa Hipponensi Colonia discere: qualis illic vita, negotia, officia. Deinde investigare qui fuerint illi «novi sumptus» quibus Hipponensium Respublica afficeretur. Postremo considerare quales fuerint effectus peregrinatorum turbarum apud urbes nimis frequenter visitatas, aliis quoque exemplis adhibitis.

- **12:20 Miguel Abad (Collegium Latinitatis, Caesaraugustae):** “De navigatione Sancti Brendani: quo Hibernici pervenerunt?”

Fabulam Sancti Brendani, viri Christiani qui Hiberniam saeculo VI p.C.n. incoluit, carptim legemus et enarrabo. Navigatio eius iter longum et difficile trans Atlanticum monstrat, et non solum pericula maris accidunt, sed etiam succedunt auxilia Dei cum quibus homines beati in Terram Repromissionis perveniunt.

Etsi est fabula ficta et saepe homines doctissimi hagiographiam (id est, fabulam hominum sanctorum) Navigationem esse putaverunt, nonnulli an Brendanus iter maritimum vere fecerit reperire conati sunt.

Ante quinquaginta annos quidam Tim Severin, homo litteratus et historicus, rerum antiquarum fautor, consilium eandem navigationem impetrandi cepit et navem similem antiquae (“curragh” in lingua Hibernica) extruxit. Petivitne tot insulas quot Brendanus? Invenitne “Terram Novam”? Descendamus in undas, gaudeamus fabula Hibernica.

- **12:50 Natalia Čepeláková (Oxford Latinitas, Pragae):** “Eustathii Knobelsdorfiensis Lutetiae descriptio: materia et facundia”

Eustathius Knobelsdorfiensis origine Prutenus Lutetiae studiorum causa duos annos egit urbisque descriptionem carmine elegiaco panxit.

In oratiuncula haec tractabuntur:

1. Carmina ceteraque opera urbes laudantia: Eustathius noster maiores sequitur
2. Operis compositio et argumenta breviter demonstrata
3. Quid Eustathii umeri ferre valeant: pangendi modus, exempla antiqua adhibita, figurae rhetoricae. Indagandi materiam carminis pars in qua studiorum universitatis describitur praebet, nam non modo quid carmini poetaeque proprium sit demonstrat, sed etiam cum Eustathii epistulis de eodem argumento scriptis comparatur.



VI SEMINARIUM COLLEGII LATINITATIS

- 13:20 Jose Sánchez-Tarazaga (Collegium Latinitatis, Valentiae):
“Mors quoque errat”

Saepe numero in litteris Latinis narratur de hominibus qui iter ad Inferos susceperunt: certe, sunt qui ad terram redierint, alii autem illic in aeternum manserunt. Hac in oratiuncula lepidissimum tractabimus locum ex sancto Augustino excerptum, in quo homo quidam, paene exanimatus, errore ad mortuorum sedes impulsus est. Quid post eveniet?

- CLAVSVRA
- PRANDIVM